



DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA

INAUGURALIS.

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS,

DE

SYPHILITIDE INFANTUM,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI BAART DE LA FAILLE,

A. L. M. Phil. Doct. Math. et Phys. Prof. Ord.

et

FACULTATIS MEDICAE CONSENSU

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN CHORO TEMPLI ACADEMICI,

Publico ac solemni examini offert

CASPARUS ALBERTUS OVERDUYN,

HAGANUS,

ad diem XIX Iunii MDCCCXIX. Hora XI.

GRONINGAE,

Apud I. OOMKENS,

Typographum Academicum.

VIRO ILLUSTRISSIMO

SEBALDO IUSTINO BRUGMANS,

Equiti ordinis regii leonis belgici, imperialis russici sanctae annae, nec non regii borussici aquilae rubrae, inspectori generali rerum medicarum militarium regni belgici, nec non professori medicinae, chemiae, botanices et historiae naturalis in academia leidensi, etc. etc. etc.

UT ET

VIRO DOCTISSIMO

C. G. E. MERGELL, MED. DOCT.

equiti ordinis regii gallici honoratae legionis, inspectori rerum medicarum militarium in provinciis septentrionalibus regni belgici etc. etc.

AC

PRAECEPTORIBUS

AESTUMATISSIMIS

In grati animi testimonium
omni qua par est reverentia offert

AUCTOR.

DISSERTATIO
MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS,
DE
SYPHILITIDE INFANTUM.

INTRODUCTIO.

Inter varios auctores, qui de infectione intereâ ſcripſerunt, plurimi hanc dicunt quandam conditionem morboſam, a viru peculiari ortam, quod virus corpus humanum primo quidem topice, dein vero, pro variis rebus circumſtantibus citius vel ſerius, totam corporis fabricam ita afficit, ut notabiles inde mu-

tationes quarumvis organismi partium oriri posſint, quae, licet tantum ſymptomata ſint, morbum tamen esſentialem conſtituunt.

Ignorabatur olim, cum in Europâ primum apparuit, Luem veneream contagione propagari uſu veneris, aegrotis ſcilicet modum, quo inquinati erant, caute disſimulantibus, ut flagitia celarent, vel forsan non ſuspicantibus tam gravem morbum contrahi posſe ſolà venere, utpote contagionis modo plane iis incognito.

Hanc igitur ob rationem accidere potuit, ut medici illius temporis novum hoc morborum genus, more caeterorum contagioſorum, epidemicum ſeu populare esſe crediderint, et proinde originem trahere a cauſà externâ et generali, qualis a nonnullis habebatur noxius astrorum influxus vel planetarum adſpectus,

ab

ab aliis vero conditio aëris insalubris, a pluviis vel inundationibus orta (1).

Sed effulsit tandem veritas, et certâ ac constanti experientiâ iam dudum innotuit, quod unanimi etiam medicorum testimonio ulterius corroboratum est, Luem veneream non contrahi errore diaetae vel aëris vitio, neque suâ sponte in corpore humano evolvi, sed solummodo propagari, si corpus, Lue intereâ affectum, attingat alterum adhuc sanum, quando virus ex illo in hoc transfertur.

Mor-

---

(1) Conf. Gaspar Tortella, in tractatu de Pudendagra, Ao. 1500. — Jacobus Cataneus, de Morbo Gallico, 1505. — Astruc, de Morbis Venereis, Paris 1740. — Hensler, Geschichte der Lustseuche, Hamb. 1783. — S. A. Walch, Ausfuhrl. Darstell. d. Ursprungs, d. Erkenntnisf, Heilung und Vorbauung d. Vener. Krankh., Jena 1811.

Morbus hicce ſub formis valde diverſis prodit, et ſaepe difficilis est cognitu, propter modificationes, quas vario modo in corpore et organis ſubit, vel in iis producit, unde facilius cum aliis vitiis tam chronicis quam acutis confundi potest.

Accedit praeterea, materiam ſyphiliticam ſaepe multos per annos in corpore latere, absque ullo ſanitatis labefactatae vel Luis praeſentis indicio, et ſubinde quaedam ſymptomata prodire, quae tunc facillime pro alio morbo haberi posſunt, et pro tempore etiam medicamentis iis oppoſitis auſcultant, donec, post aliquam moram, tanta huius materiae virulentae copia in corpore ſit producta, quanta ſufficiat, ut generalis labes omni ex parte erumpat.

Quum porro ſaepisſime fit, ut virus ſyphiliticum lateat in gravidâ, et infans ſic corripiatur, qui hoc in caſu, aliquan-

quando cum ſignis conſpicuis labis venereae naſcitur, nonnunquam vero, primo post nativitatem tempore, ſanitate quidem illibatâ gaudere videtur, ast aliquo tempore praeterlapſo ſymptomata labis generalis offert, et postea brevi plurima eius organa ita corripiuntur, ut, viribus talis infelicis infantis exhauſtis et disſolutione generali humorum obortâ, tandem morti ſuccumbat, niſi tempestive, morbi fomite cognito, aptâ medelâ tollatur morbus, atque ſequelae amoveantur.

Huius itaque ultimae asſertionis veritatem ſerio perpenſam tanti habui, ut gratum fore cogitarem laborem, ſi huius infantum morbi pertractationem, pro ſpeciminis profectuum meorum materiâ, elaborandam mihi ſumerem; quotidianâ enim experientiâ convictum me habeo, non exiguum esſe eiusmodi infantum

adeo infelicium numerum, quemadmodum pluries expertus ſum, in primis in exercitu, ubi plura huius rei exempla continuo obſervare mihi licuit.

Imo tantum huius rei momentum mihi videtur, ut lubenter Francorum inſtitutis laudes debitas tribuam, quibus, variis in urbibus, noſocomia, gravidis et infantibus Lue venereâ laborantibus recipiendis inſervientia, ſunt exſtructa (2); qualia noſocomia ſummae certe utilitatis etiam esſent nostrâ in patriâ, ideoque non posſum non, quin medicorum non ſolum, verum etiam magistratus attentioni magnopere hanc rem commendem.

In

(2) Conf. Doublet, Memoires ſur les ſymptomes et le traitement de la maladie vénérienne dans les enfans nouveaux-nés, Paris 1781. — Mahon, Memoires de la Société d'Emulation, Tom. II. — Le Blanc, Disſertation ſur la Maladie Vénérienne des enfans nouveaux-nés, Paris 1803.

In pertractandâ hac materiâ ſequentem elegi ordinem, ut agam in

Cap. 1° de Modis infectionis variis;

2° de Symptomatibus moıbi, eiusque Diagnoſi;

3° de Prognoſi;

4° de Ratione medendi.



CAPUT PRIMUM.

De variis infectionis modis.

§ 1.

Infectio venerea infantis potisſimum quadruplici modo fieri videtur, et

1° quidem durante graviditatis tempore,

2° durante partu, quando genitalia materna virus illud continent, et ſic infanti naſcenti communicant,

3° ſi mammae, hoc viru affectae, infanti praebeantur,

4° denique materiâ ſyphiliticâ quocumque modo cuti vel partibus, teneriori epithelio obductis, communicatâ.

§ 2.

§ 2.

Anno iam 1516 obſervaverat Jacobus Cataneus, Medicus Italus, a Clar. Astruc (3) laudatus, morbos venereos, quibus afficiebantur adulti, non ſolum cum his, verum etiam cum infantibus communicari „videmus enim, inquit, nonnullos infantes lactentes, morbo gallico, a parentibus accepto, infectos hanc affectionem ſuis nutricibus reddere."

Muſa Brasſavolus, Ferrarienſis (4), qui ſcripſit anno 1553, etiam exiſtentiam contagii haereditarii ſyphilitici probat; non vero modum, quo viru hoc afficiantur aegri, explicat, ſed caſus tres

(3) Conf. Astruc, de Morbis Venereis, Tom. II, pag. 595.

(4) De Morbo Gallico, Venet. 1553.

tres infantum diversae aetatis, hac affectione morbosâ laborantium, affert.

Porro Augierus Ferrierus anno 1553 tractatum conscripsit de Pudendagrâ, in quo curationem syphilitidis infantilis accurate notavit, postquam affirmaverat, hanc labem in utero contrahi posse, et corruptioni seminis virilis vel feminini tribuendam esse.

Non tamen defuerunt medici, qui, infectionem veneream in utero posse communicari, negarunt, uti Girtanner (5), Richter (6), Hunter (7), Walch (8), Hah-

(5) Girtanner, Abhandlüng über d. Vener. Krankheiten, 4te auflage, Gött. 1802.

(6) Richter, die Specielle Therapie, V Band. Berlin 1817.

(7) J. Hunter, Abhandlüng über d. Venerif. Krankh. a. d. Engl., Leipz. 1787.

(8) S. A. Walch, Ausfuhrl. Darftell. d. Urfpr. der

Hahnemann (9), et ſolummodo praedispoſitionem peculiarem admiſerunt, quâ infans ad contrahendum ipſum morbum aptus redderetur.

Si vero arctum matrem inter et infantem vinculum conſideremus, quis est, qui non perſpiciat, ut ut conſuetudines et vultus parentum infantibus ſaepius ſunt innati, etiam labem eorum cum hisce communicari debere.

Alia praetermittam, tantummodo commemorans, plura esſe exempla infantum, qui ipſo partus tempore ſigna non dubia reddebant variolarum, in utero perpesſarum, quibus mater durante graviditate laboraverat.

Hoc

---

der Erkentnisſ, Heilung und Vorbauung der Vener. Krankheit, Jena 1811.

(9) Hahnemann, über Veneriſche Krankheiten, pag. 274.

Hoc tempore porro obſervatio abunde docuit, non raro infantes nasci cum ſignis conſpicuis ſyphilitidis a parentibus, Lue venereâ correptis; imo, quod mirabilius, a patre ſyphilitico generari, et enasci aliquando infantes, ſigna Luis venereae ostendentes, ſanâ tamen matre! et contra etiam, patre ſano, ſed matre labe venereâ laborante, quemadmodum olim iam obſervavit Victorius Trincavellius (10); dixit enim: „ſe novisſe, dum Patavii iunior artium ſtudiis navaret operam, quod uxor cuiusdam iuris conſulti, qui morbo gal„li-

(10) Vict. Trincavellius de Ratione curandi partic. human. corporis affect. Lib. II, Cap. 17. Patavini 1550. Vid. etiam Swediaur, traité complet sur les ſymptomes, les effets, la nature et le traitement des Maladies ſyphilitiques. 7e Edn. Par. 1817. Tom. II. pag. 9, 16 et 116.

„lico affligebatur, cum ipſa nunquam „ſignum aliquod contractae illius labis „haberet, ſed ſemper omnino integra „fuisſet, foetum tamen edidit crusto- „ſis ulceribus undique ſcatentem."

Accedit praeterea, a parentibus, nullo quidem ſymptomate ſyphilitidis durante matrimonio laborantibus, ſed ante matrimonium gonorrhoeâ, licet etiam ſimplici, vel ulcusculis venereis affectis, nasci nihilo minus infantes labeватереâ correptos.

Ex pluribus exemplis, quae ab auctoribus afferuntur, ſolummodo caſum, quem obſervavit Doct. Pelletan (11), enarrabo; hîc enim e quatuor infantibus, a feminâ primariâ, ante matrimonium ſy-

(11) Pelletan, Clinique chirurgicale ou memoires et observations de chirurgie clinique et sur d'autres objets relatifs à l'art. de guerir. Paris 1810.

ſyphilitide correptâ, ſed durante hoc nullum ſignum ſyphilitidis offerente, in lucem editis, tres ante primae dentitionis tempus multa Luis venereae ſigna exhibuerunt, et inde mortui ſunt; quartus vero infans, tantummodo curâ plane antivenereâ matris, durante graviditate, ab hoc vitio immunis fuit ſervatus.

Quocum etiam conſentit Cel. Astruc (12), affirmans „ſaepe vidisſe rachitidem aut affectos rachitidis congeneres, ſtrumas aut ſtromoſos glandularum meſeraicarum tumores, atrophiam pulmonarem, osſium distorſionem, „unde gibboſitatem aliosque non paucos „eiusmodi morbos, a Lue venereâ degeneratâ ortos, in tenella infantum „corpuscula traductos fuisſe."

Nar-

(12) Astruc de Morbis venereis, Tom. I.

Narrat etiam Doct. Merklin (13), historiam nobilis cuiusdam feminae gravidae, inter edendum suffocatae, cuius in faucibus, sectione cadaveris institutâ, ulcus venereum inveniebatur, quo tota epiglottis erat consumta; foetus autem, sectione caesareâ extractus, idem ulcus in eodem loco monstrabat, praeterea hic et illic exostoses simul cum aliis signis syphiliticis aderant.

§ 3.

Multi ut auctores de primo infectionis modo dubitarunt, ita nullus datur, qui alterum infectionis modum, nempe durante partu, non admiserit; nil enim im-

(13) Encyclopedie Methodique de Chirurgie par de la Roche et Petit Radel. Tom. II, pag. 488. Paris 1792.

impedit, quo minus partes infantis, prae caeteris epithelio tenuiori tectae, viru illo contaminentur, inflammationem inde ſubeant ſpecialem et propriam, materiamque huic analogam producant, a quâ, cum vaſis abſorbentibus communicatâ, caeterum quoque corpus affici queat; unde tunc in genere cachexiae, in ſpecie Luis venereae, ſymptomata exoriuntur.

§ 4.

Eodem modo rem ſeſe habere, nemo non intelligit, ſi mammae vel matris vel nutricis, ulcere venereo correptae ſint, et pus, ex illo ſtillans, ab ore infantis, utpote epithelio tenuiori obducto, recipiatur; unde tunc primo quidem localia, dein vero generalia infectionis ſymptomata producuntur.

§ 5.

§ 5.

Idem valere de ſanie venereâ, quocunque etiam loco ſecretâ, et infantis vaſis abſorbentibus oblatâ, ſuâ ſponte intelligitur; unde quartus infectionis modus originem trahere diximus, et cui infectioni in primis anſam praebere mihi videtur conſuetudo illa prava ancillarum vel etiam ipſisſimarum matrum, quae permittunt, unumquemque infantes non ſolum tractare, ſed etiam iis oscula dare, quum vel digitis, ob ulceris venerei tractationem pure ſyphilitico inquinatis, vel ipſis labiis, eiusmodi ulceribus in ipſis labiis, ore vel faucibus obviis, infantes attingentes, cum iis virus facillime communicant.

§ 6.

Notandum inſuper, ſaepe complures

infantes eadem in domo vitam degere, secum invicem commercium alere, iisdem utensilibus, caeterisque rebus iisdem uti, unde facillime fit, ut omnes, cum saepius horum aliquis morbo quodam venereo laboret, eodem corripiantur vitio.

CAPUT II.

De Symptomatibus.

§ 1.

Syphilis infantum tot varia symptomata offert, quae partim ab ipsâ Lue, partim ab irritabilitate et sensibilitate maiore corporis infantilis dependere possunt; unde difficilis est omnino recta eorum distinctio, quae certe requirit medicum summopere prudentem.

Ad

Ad haec referri posſunt:

1° Ophthalmia ita dicta neonatorum, quae in omni caſu non quidem venerea est dicenda, ſaepius tamen huius naturae est obſervata.

2° Excoriationes vel maculae lividae cutis, quas ulcera magis minusve ſuperficialia ſequuntur, praeſertim ubi illae circa os, genitalia et anum prodeunt; ulcera autem haec nonnunquam etiam, in caſu graviori, ad frontem, umbilicum et os ſacrum conſpiciuntur (14).

3° Pustulae parvae, quibus ſuperficies corporis hic et illic, praecipue circa anum et genitalia, obducitur.

4°

(14) Mahon, über Veneriſche Krankheiten neugeb. Kinder i. d. abhandl. für pract. artze, Band 19, St. 3, p. 396, et Band 20, St. 1, pag 1.

4° Secretio vaginae, narium atque aurium aucta, valde copiofa, et indolis valde mutatae, a naturali multum abludentem, ac partes circumiacentes arrodentem materiam praebens.

5° Tumores glandularum, praecipue axillarium vel inguinalium, fubito in fuppurationem tranfeuntium.

6° Inflammatio faucium chronica.

7° Morbi osfium diverfi.

§ 2.

Diagnofis.

Quamvis res magni fit momenti, a morbis vicinis distinguere Luem veneream, illud nihilominus plurimis in cafibus aegre fieri, fi morbi c. ufa non in promptu fit, quisque facile intelligit, quum eadem

dem ſymptomata, quae in § praecedente Lue ſyphiliticâ affectis tribuimus, etiam ab aliis cauſis posſunt produci, v. c. ab acri ſcrophuloſo, acido primarum viarum, ſcabie, vel aliâ quacunque labe.

A ſcrophulâ praecipue difficulter distinguitur, quae eadem organa, modo vix diverſo, afficere ſolet. Hoc igitur in caſu omnis opera est danda, ut modus infectionis intelligatur; ſi vero hunc detegere non valeamus, ex externo infantis habitu, facie ſenem repraeſentante, oculis aquoſis, colore cutis livido, glandularum ſubmaxillarium et cervicalium tumore, ſcrophula est cognoscenda, dum Lues venerea est dignoscenda pertinaciâ morbi, progresſu celeriori ſymptomatum, et iuvantibus vel nocentibus medicamentis. In ſcrophulâ potisſimum et fere ſemper partes molles, in ſyphiliti-

 de

de non raro osſa naſalia, palati, faciei, brachiorum et crurum afficiuntur.

Tumores autem ſcrophuloſi et venerei a ſe invicem vix distingui posſunt, dum ambo ſaepe effluxum materiae purulentae ex naribus auribusque comitem habeant.

Ulcera ſcrophuloſa ſuperficiem ostendunt coeruleam, ſaepius ſanguinolentam, et eorum margines convoluti tument et livent; ulcera venerea e contra regularem, rotundam et planam offerunt ſuperficiem, materià ſpisſà albâ et tenaci notantur, et non aliis remediis quam mercurialibus auscultant, dum ſcrophuloſa ulcera roborantibus atque balſamicis fere ſemper emendantur (15).

Ab

(15) Conf. Doublet, l. c. Paris 1781. Schoenheyder, de ſyphilitide infantum, in Act. Societ. Hafnienſis, anno 1779. Tom. III, pag. 207.

Ab exanthemate illo et tumore glandularum, quae ab acido primarum viarum producuntur, discernitur exanthema venereum univerſalibus depravatae ciborum concoctionis indiciis, uti doloribus in abdomine, vomitu acido, eiectionibus alvinis acidum redolentibus, caſeoſis et bilioſis; quibus ſublatis caetera ſponte evanescunt ſymptomata morboſa.

A ſcabie distinguitur exanthema ſyphiliticum, quod in ſcabie praeter cutem non adeo alia organa afficiantur, et haec ſaepisſime apto unguento tollatur.

Suâ ſponte ſequitur, his omnibus in caſibus ſymptomata, ſupra enumerata, ſemper curatius diiudicanda esſe e parentum valetudine.

De ſymptomatibus agentes ophthalmiam neonatorum recenſuimus, et diximus, non omnem hanc esſe veneream;

cum vero eiusmodi est indolis, genitalia matris fere femper uno alterove vitio venereo correpta funt, quo cognito nullum amplius fuperest dubium, quin infans durante partu affici potuerit; quod cum ita fit, fponte apparet, hanc oculorum inflammationem pertinere ad fpecificas inflammationes, a quodam ftimulo acri ortas.

Haec ophthalmia vulgo oritur die 2° ad 8m, et fequentibus fefe declarat fymptomatibus: tument palpebrae in primis fuperiores; oculi in initio ficci funt, dein vero fpisfam, flavam vel viridescentem, magis minusve copiofam materiem fundunt. Raro hoc in cafu, uti recte monet Hahnemann, oculorum bulbus laeditur, interdum autem prae palpebrarum tumore bulbum confpicere non licet.

Pluries obfervata fuit haec ophthalmia

mia a doct. Doublet (16), postquam gonorrhoea imprudenter erat ſuppreſſa, qui addit, eo in caſu ſaepius organum viſus graviter laedi, et reſtitutâ gonorrhoeâ ophthalmiae ſymptomata fuisſe ſedata.

Materies, quae in hac ophthalmiâ ſecernitur, in initio ſeroſa et parca est; post aliquot autem dies augetur haec ſecretio, et dein auctâ inflammatione actio glandularum, humores ſecernentium, mutatur, unde mucus ab iis ſecretus amittit blandam craſin, et materia purulenta ex oculis depluere incipit (17); contactu aëris facile haec materia ſpisſitudinem contrahit, et hinc palpebrae qua-

(16) Doublet. l. c.

(17) Conf. Clar. Stratingh, Disſert. inaug. de Ophthalmiâ Neonatorum, Gron. 1798. — Hahnemann l. c.

quaſi conglutinantur; ſi haec materies purulenta ſupra linteum colligatur et ſiccatur, colorem flavum vel virideſcentem ostendit. Diminutâ dein inflammatione haec ſecretio mutatur iterum, et fit mucoſa.

Tumescentia palpebrarum vulgo a die 12^{o} ad 16^{m} imminuitur, omnia ſymptomata deſinunt, et ſic identidem ad ſtatum normalem redeunt oculi.

Ophthalmia venerea in eo ab aliis ophthalmiae ſpeciebus neonatorum diverſa est, quod vehementiori modo oculi bulbus adgrediatur.

Ab ophthalmiâ, a vitio ſcrophuloſo ortâ, praeſertim diſcernitur eo, quod ea conſistat in parvis ulcuſculis, ſerum acre fundentibus, quae ex bulbis ciliorum, morboſe affectis, oriuntur.

Hic tandem animadvertendum est, Luem veneream aliquando in nonnul-

lis

lis infantibus (quod etiam interdum locum obtinet in adultis) ſeſe non ostendere niſi post aliquot tempus; praeterea vehementiam ſymptomatum eo maiorem esſe, quo morbus ſit magis inveteratus.

Ex dictis liquet, diagnoſin Luis venereae infantilis ſat difficilem esſe; et certe in hoc etiam morbo verisſima est obſervatio illa generalis doct. Wichman (18), maiorem ſcilicet infantum mortalitatem primâ vitae periodo, ratione vitae magis provectae habitâ, in primis repetendam esſe ex difficiliori et nondum ſatis elaboratâ morborum infantilium diagnoſi. Maxima igitur cum attentione est agendum in explorandis ſymptomatibus, ut morbus rite cognos-

(18) Wichman, Ideën zur Diagnostiek. 1794. Tom. I, pag. 22.

noscatur, et iusta medendi ratio insti-tuatur.

CAPUT III.

De Prognosi.

§ 1.

Multiplici auctorum observatione constat, Luem veneream infantum magis quam adultorum esse periculosam; prognosis quippe in genere infausta est; pluribus enim in casibus infantes, quamvis ipsius Luis venereae symptomata non amplius observentur manifesta, sequelis morbi adeo atrocis diutius laborant, et pristinam sanitatem vix ac ne vix quidem recuperant; corporis tunc incrementum tarde admodum proce-

ce-

cedit, et omnia organa debilitantur, habitus ſcrophuloſus et ipſa ſcrophula, rachitis, diarrhoea colliquativa aliaque atrophiae indicia adveniunt, et tandem aegrotantes, hisce confecti malis, miſeram vitam ſaepisſime cum morte commutant (19).

Prognoſis autem differt pro variâ ratione infectionis; quando enim contagium ſuscipitur durante partu, minus periculoſum est, quam ſi illud iam in utero contrahatur, vel a nutrice communicetur.

Praeterea pro numero et vehementiâ ſymptomatum prognoſis est valde varia; Morbus eo gravior est, quo laeſiones maiores aut ulcerationes profundiores fuerint, vel organa nobiliora occupaverint;

(19) Conf. Richter l. c. Tom. V. Doublet l. c.

rint; hae enim caufae morbificae gravitatem et perfectae fanationis difficultatem indicant. Si igitur folam cutem occupent et parvae fint fine marginibus callofis, fpes fanationis promptae affulget; et contra, fi chronicam prae fe ferant faciem, et corpus fimul omni ex parte debilitatem monftret generalem, morbum hunc tollere vix amplius fperare licet.

Si ulcerationes circa umbilicum et in regione osfis facri adfint maiores, et altius penetrent, infantes plerumque, teste Clar. Richter (20), gravisfimis doloribus et febre lentà obortis, ad plures abeunt.

Mali certe ominis est, quando virus venereum latens, aliquo temporis fpatio

(20) Richter l. c. Tom. V pag. 557.

tio praeterlapſo, erumpit; caeteris enim paribus Lues venerea, quo recentior, eo minus est periculoſa; contra vero est tanto gravior, quanto magis inveterata et per totum corpus diffuſa; tunc quippe omnium organorum actio ſpecifico hoc ſtimulo mutatur, ſecretiones hinc omnes evadunt morboſae, et humores praebent indolis valde vitiatae; unde tunc univerſum corpus tandem corripitur, et debilitas generalis ac atrophia oriuntur.

Mala etiam est prognoſis, quando una cum ſignis Luis venereae indicia apparent aliorum morborum ex. gr. affectionum rachiticarum vel ſcrophuloſarum, quae non raro in debilitato corpore mortem accelerant.

Peſſima vero est complicatio cum ſcorbuticâ affectione. Nullum ſane morborum genus reperitur hac complicatione a-

atrocius, magis aegrotos pluribus modis excrucians, curatu difficilius, et remediis efficacisſimis pertinacius reſistens.

Salutem augurare licet, ſi infantes non nimis debiles ſint.

Quod ad ophthalmiam veneream attinet, haec, ubi cauſa ſit evidens, et citius medicamina apta adminiſtrentur, ſaepius vinci potest absque laeſione ipſius organi viſus (21). Quo in caſu tantum palpebrae et tunica oculi adnata ſeroſâ inflammatione afficiuntur, ſed, morbo progrediente et neglectâ debitâ curâ, bulbus ut plurimum corripitur, et medicamentorum apparatum longe maio-

(21) Colombier de morbis venereis neonatorum. Prostat haec tractatio in Actis ſociat. reg. med. Paris 1797. — Girtanner, l. c. pag. 32. — Hahnemann, l. c.

iorem et diuturniorem, ne tandem visus facultas deleatur, expostulat (22).

Observandum autem est, inflammationem nonnunquam ob neglectam debitam oculorum depurationem et acredinem materiae purulentae valde augeri, unde non raro varia oculorum vitia producuntur, v. c. materies illa acris corrodit ipsum oculi bulbum, eiusque fabricam organicam destruit, unde hypopion, ulcera et maculae corneae, staphyloma, aliaque exsurgunt mala. Tunica quoque albuginea saepe inflammationem subit, unde abscessus in eâ oriri queunt.

Liceat his quaedam addere de virus venerei indole:

Quamvis non cogitandum sit, virus venerei naturam esse aliam in infantibus, ali-

(22) Doublet, l. c.

aliamque in adultis, ſymptomata tamen, quae in utrisque producit, multum differunt; ſed, quemadmodum natura virus cuiusvis adhuc ignoratur, idem etiam de viru ſyphilitico valere, nullus non credit.

Recenter ingenioſam, ſed forſan nimis hypotheticam, finxit opionem clar. Vogel, dum ſyphilitidem conſistere cogitaret in coniunctione virus leproſi et labis ſcorbuticae, et inde explicare vellet, quare in hoc morbo mercurialia ſola, cum antiſcorbuticis et roborantibus non iuncta, potius noceant quam proſint.

Alii crediderunt, hoc virus naturae eſſe acidae et corroſivae (Cf. Aſtruc, Girtanner, Horn, Besnard). Alii exiſtentiam animalculorum, quae contagium propagarent, finxerunt.

Alii porro ex legibus chemicis virus actionem explicare tentarunt, ex mutatâ

tâ nempe proportione mutuâ principiorum ſimplicium carbonii et azoti (23).

Alii denique actionis huius materiae ſyphiliticae rationem poſuerunt in defectu oxygenii, et hancce ſententiam ex remediorum antiſyphiliticorum indole confirmare conati ſunt. Cuique ſatis cognitum est, ſummum virum Fourcroy in eâ verſari opinione, oxyda metallica re verâ in hoc morbo decomponi, oxygeniumque ſuum fibrae animali largiri. Hac opinione nititur theoria cel. Alyon (24), iuxta quam oxygenium est ſola et unica materies, quae labem ſyphili-

(23) Iuch und Weber, Disſert. de cauſâ Luis venereae proximâ, Erf. 1743.

(24) Alyon über die eigenſchaften des Sauerſtoffs als heilmittel, und über die anwendung dieſes princips in verſch. krankh. a. d. Fransz. mit anmerk. Leipzig 1798.

liticam tollit; quia hydragyrum in ſtatu metallico nunquam hunc morbum ſuſtulit, ſed tantum, ſi cum oxygenio unitum oxyda formaverit; quia porro hydrargyrum est illud metallum, quod longe maximam oxygenii copiam asſumit, et omnium facillime iterum amittit, inprimis, ſi partes animales attingat, quae tantâ vi oxygenium arripiendi pollent; unde medicamentorum mercurialium praestantia prae reliquis egregie elucet, uti et ducentis obſervationibus, felici eventu coronatis, Alyon ſe convictum testatur, ſolum oxygenium hanc labem tollere.

Sic etiam Cruikshank et Rollo aegrotos ſuos ſanarunt remediis, oxygenio ſcatentibus, uti acido nitrico et nitroſo, acido muriatico oxygenato, acido citrico, muriate potasſae oxygenato, cuius ſalis egregios effectus obſervavit Cruikshank in ſeptemdecim aegris, uti

uti eosdem effectus ab acido nitrico et nitroſo (25) experti fuerunt Browne, Carrick, Hammick Junr., Ferriar etc.

Effectus hi adeo fausti certe quam maxime favent illorum ſententiae, oxygenii nempe defectum esſe Luis venereae ſcaturiginem, ast ab alterâ parte multorum etiam medicorum obſervationes utilitatem hanc medicamentorum, oxygenio abundantium, non confirmarunt; ſic enim Bell, Blair, Bowles, Carmichaël, Girdelſtone, Hopper, Kerrisſon, Lind, Macartney, Mitchille, Pearſon, Swediaur etc., ab hisce remediis in Luë ve-

(25) Die neueſte erfahrüngen brittiſcher Aertze, uber die werküngen der Salpeterſaure in der Lustſeuche von Th. Beddoes; aus dem Engl. überſetst und mit einige anmerküngen verſehen v. Dr. F. G. Frieſe. Breslau 1799, 8vo.

venereâ vix ullum bonum viderunt effectum. Ex his patet, omnem de Luis venerae naturâ disputationem magnis premi difficultatibus, et hucdum veritatem latere.

CAPUT IV.

De Ratione Medendi.

§ 1.

Ex iis, quae de morbo venereo infantili iam diximus, et quae de variis modis, quibus contagium cum infantibus communicatur, monuimus, ultro liquet, momenta curationis non ſemper eadem eſſe, ſed varia pro ratione diverſâ infectionis, vehementiâ ſymptomatum, conditione aegri etc.

In genere autem ſatius est, ſi illud fieri

ri posſit, morbum praevenire; quam ob rationem, ſi durante partu mater fuerit affecta fluore albo ſyphilitico, vel etiam muliebria ulceribus venereis correpta fuerint, illico, membranis disruptis et aquâ expulsâ, lotiones, e ſolutione ſulph. acid. alum. vel etiam muriatis hydrargyri paratae, inſtituendae ſunt, ne infans viru ſyphilitico afficiatur; contra vero, ſi vagina ſicca et ulceribus ſit obducta, iniectiones cum oleo vel inunctiones cum unguento mercuriali proſunt. Partu peracto corpus neonati curatius est depurandum, et ſi illud conſultius habeatur, ſolutio muriatis hydrargyri lotionis inſtar adhiberi potest.

Hisce cautelis obſervatis nonnunquam infantis infectio, durante partu, praepedita fuit (26). I°

(26) Conf. Richter, l. c. Tom. V. p. [illegible].

I° Quando mater, tempore graviditatis, ſigna labis venereae manifestet, ideoque de affectione foetus cogitandum ſit, debitis tunc medelis, matri exhibitis, virus est extinguendum, quâ ratione ſimul, ſanatâ matre, infantis ſanatio obtinetur.

II° Infante autem in lucem edito et lactente, nonnunquam matri vel nutricibus medicamina antivenerea administrantur, quo modo et ipſe ſanatur infans.

III° Sed ſaepius ipſe infans directe iusto medicaminum apparatu adgreditur.

§ 2.

Curatio gravidarum.

Praeconceptâ opinione, in quâ per longum ſat tempus nonnulli medici verſabantur, cura gravidarum, Lue venereâ affectarum, non admittebatur, niſi post partum, ne ſcilicet infans remediorum

mer-

mercurialium uſu moriretur, vel abortus provocaretur.

Verum iam Muſa Brasſavolus, laudans frictionum mercurialium uſum in morbo venereo, eas etiam commendavit in tali gravidarum morbo; praeterea circa annum 1650 noſocomia extruebantur in Galliâ, quae ſolummodo ad gravidas, labe venereâ correptas, pertractandas erant adaptata, in quibus cura antiſyphilitica, aliis rebus circumſtantibus illud non vetantibus, prorſus obſervabatur.

Haec medendi ratio melior est methodo palliativâ, quae a nonnullis commendatur;

1° Quia ſymptomata ſyphilitica, quibus mater laborat, ita durante graviditate augeri posſunt, ut morbus facile periculoſus fiat; quo in caſu etiam ſummum est ipſius foetus vitae periculum; obſer-

vatio enim abunde docuit, non raro abortum provocari a Lue venereâ gravi. Animadvertendum tamen est, remediis mercurialibus, in Lue venereâ gravissimâ necessariis, aliquando foetum ita affici, ut eius vita extinguatur. Quaestio itaque hic exsurgere potest, an foetus vita salute matris sit anteponenda? nobis interim videtur, curam matris antivenercam semper, ast prudenter, esse inchoandam, nisi mater in ultimo graviditatis mense versetur.

2° Quia sic eodem plane modo ac viâ, quà cum foetu contagium fuit communicatum, medicamenta ipsi foetui exhibentur.

Quando itaque gravida methodo antivenereâ est tractanda, eo maiore cum successu cura institui potest, quo longius a partu femina absit.

Haec autem methodus dividi potest

in

in curam praeparantem, et in proprie ſic dictam antiſyphiliticam.

Si ullus ſit morbus, qui et ob cauſam et eius indolem et aegri conditionem, maximam medici prudentiam in agendo requirit, extra omne dubium talis est Lues venerea gravidarum.

Primis igitur diebus decoctum quoddam diluens est adminiſtrandum, v. c. decoctum graminis vel hordei cum oxymelle, ſimiliaque. Balnea interim, quorum effectus ſub uſu hydrargyri iure laudatur, hoc in caſu maximâ cum prudentiâ ſunt adhibenda; obſervatio enim abunde docuit, a balneis nimis calidis vel nimis repetitis facile abortum oriri, praeſertim ſi femina valde ſenſibili atque debili gaudeat conſtitutione. Duo ſuſſiciunt balnea ſcopo propoſito attingendo, nimirum cutis puritati promovendae atque aegrae ita praeparandae, ut hydrar-

gy-

gyrum iustum praestare posſit effectum.

Praeterea, ſi alvus tarda ſit, leniter movenda est; remedio enim laxante tollitur etiam dispoſitio, quam aegra habere posſet ad affectiones gastricas, quae non raro durante uſu hydrargyri obſervantur; ſed laxans hoc ſumendum est e clasſe eccoproticorum, v. c. e tamarindinatis, casſiâ, mannâ cum paucâ ſulphatis ſodae quantitate.

Venae ſectio neutiquam est commendanda, niſi plethora manifesta adſit.

Aegrae, ita praeparatae per quinque vel ſex dies, hydrargyrum datur, aeque ac ſi non gravida esſet, et ſub formâ frictionum, vel uſu interno cuiuscumque praeparati mercurialis, administratur.

Quando itaque frictionibus gravidam ſanare conabimur, incipiendum est a drachmâ dimidiâ unguenti oxyduli hydrar-

drargyri, ſecundum Pharmac. Batav. parati. Ubi vero cutis adeo ſicca est, ut balneis praegredientibus ſiccitas tolli non potuerit, balneorum effectus augeri potest inſequente frictione oleoſâ v. c. cum oleo amygdalarum, inſtitutâ ante applicationem unguenti. Tertio die ſecunda frictio est inſtituenda, et ſic deinceps altero quovis die. Doſis unguenti identidem augetur ad drachmam 1½, raro ad drachmas duas; durante cura omni hebdomade balneum tepidum ſine ullo periculo in uſum vocari potest.

Si vero uſum hydrargyri internum praeferamus, ante omnia bonum hic praeſtabit effectum Liquor ſwietenii.

Prima doſis huius liquoris ⅛ grani unius muriatis hydrargyri continere debet; post aliquot vero dies pro re natâ identidem doſis augetur ad ¼ grani; deni-

nique, ſi gravida ſit ſana et robusta, hydrargyrumque inſuper bene ferat, ad $\frac{1}{2}$ gr. quotidie dari potest, ſed ſi res circumſtantes non ita ſint, tantummodo $\frac{1}{4}$ gr. ſufficiet.

In mercurio porrigendo praeſertim attendendum est ad aetatem, diſpoſitionem corporis peculiarem genus, vitae etc. gravidarum, tum etiam ad ſtatum ipſius morbi, qui nimirum vel inveteratus vel cum aliis morbis complicatus eſſe potest; his enim omnibus doſis hijdrargyri determinari debet. Semper post uſum huius liquoris poculum, quocumque decocto involvente mucilaginoſo repletum, inſuper bibendum est, e. gr. decoct. hordei vel ſem: lini, ſimiliumque; hic etiam nonnunquam proſunt decocta lignorum.

Alia etiam praeparata mercurialia adhiberi posſunt, ita doct. Swediaur

lau-

laudat usum mercurii gummosi Plenckii ad scrupulum unum vel duos, cuius dimidia pars mane, altera vero vesperi est sumenda cum quodam decocto mucilaginoso.

In casibus nonnullis recentibus murias hydrargyri oxydulati conducere potest, dosi 1 aut 1½ grani, quae augetur vel imminuitur pro re natâ.

Syrupus ita dictus sudorificus etiam propositus est, qui paratur sequenti modo:

℞ Rasur: Guajac:
Rad. sarsaparill. ā ℔ 1.
Dig. per 24 horas in aq: ℔ xii.
Dein bene coq: ad coll. ℔ vi.
Add. Sacch. commun. ℔ 1½,
Mell. alb. ℔ 1.
Sum. 4 ad 8 unc. quotidie.

Hocce vero remedium vix quidquam boni praestare posse mihi videtur, nisi in

ca-

casibus levissimis, ubi murias hydrargyri non ita erat indicatum.

Affectiones syphiliticae locales pro variâ sede, indole etc. curandae sunt eadem ratione ac in non gravidis.

Quaenam etiam medendi ratio eligatur, semper cavendum est, ut omnia momenta, supra enumerata, curatius observentur. Inter regulas hygienae primum occupat locum, ut habitet aegra in loco saluberrimo, ubi aër facile renovari possit, et durante totâ curâ alimenta sumat bene nutrientia et facile digerenda.

Verumtamen ad primum ptyalismi indicium statim ab usu mercurialium est abstinendum, et decoctis emollientibus et sedantibus ulterior huius affectionis progressus est avertendus, uti dec. altheae, vel hordei, vel etiam tenui infuso flor. chamemaeli, cui nonnunquam pauca opii quantitas addi debet. Hoc in casu ad-

adhiberi nequeunt drastica, vel purgantia, vel acetis plumbi liquida concentrata, ſimiliaque, quorum uſu facile abortus oriri posſet; meliore autem cum ſuccesſu et minore ſimul periculo veſicatorium applicari potest cervici vel alio corporis loco, ut excitetur irritatio, medicaminis ſtimulo plane oppoſita, quod ſaepe iuvat, imo in ptyalismo graviori.

Monendum tamen est, quamvis cura gravidarum bene accommodata ſit diverſo graviditatis tempori, exceptionem adhuc dari, ſi nempe ultimus graviditatis menſis adſit; partu enim ſuperveniente cura perturbaretur et ſperato careret effectu. Quando igitur ſymptomata Luis venereae gravia hac graviditatis periodo adſint, methodus palliativa est inſtituenda, et hic vel illic frictiones mercuriales adhiberi posſunt, vel etiam, quemadmodum commendat doct.

D Dou-

Doublet, datur tantummodo gr. unum mur. hydrarg. oxydulati. Denique, si affectionibus venereis muliebria sint affecta, v. c. ulceribus syphiliticis, pustulis, similibusque, harum affectionum sanatio, si fieri possit, tentanda est ante partum, applicato nimirum unguento mercuriali una cum usu interno decocti lignorum.

§ 2.

Curatio Nutricum.

Secunda methodus curandi infantes, syphilitide correptos, quam proposuimus, consistit in nutricibus curandis, quando forte matres ob hanc illamve rationem, durante graviditate, idonea et necessaria assumere non potuerint medicamina, v. c. uno alterove morbo interveniente vel tempore ipsius partus

ni-

nimis appropinquante; hac enim ratione medicamina viâ lactis ad lactentem pervenire posſunt ac debent.

In puerperio cura differenda est in illud tempus, quo lochia non amplius obſervantur, et eadem remedia, eodem plane modo et iisdem ſub cautelis, adminiſtrari debent, quae ipſis gravidis ſunt commendatae. Praeterea, ſi infans et nutrix, durante curâ, morbo quodam afficiantur, vel etiam ſolus infans aegrotet, ulterior medicaminum uſus eo tempore est interdicendus, ſed repetendus est, quando aegri convalescentis res horum uſum iterum admittunt.

Quamdiu haec aegrorum cura antiſyphilitica durat, diaeta ſana et bene nutriens est eligenda, ne forte lactis ſecretione vires nimis exhauriantur.

§ 3.

Curatio Infantum.

Quando infans neonatus ſigna ſyphilitidis denotat, inſtituenda est curatio vel mercurio adminiſtrando nutricibus, vel medicamine hoc ipſi infanti exhibendo.

Infantes medendi ratio, lacte nutricum, veteribus iam fuit cognita, et eam forte ob rationem, quia plures obſervationes docuerant, medicamenta nonnulla, a matre vel nutrice asſumta, eosdem in infantibus lactentibus largiri effectus, et illarum animi pathemata in his infantibus ſeſe ostendere.

Hippocrates lactem nutricum unicum deſignat remedium, quo infantes ſanari posſunt (27), quemadmodum doct.

As-

(27) Hippocrates, de Epidemiis. L. III.

Astruc (28), aliique hunc modum solum commendant in curandis infantibus, labe venereâ correptis.

Quamvis lac feminarum et animalium, quibus per aliquot temporis ſpatium hydrargyrum fuisſet adminiſtratum, nullum huius metalli ſignum oſtenderet (29), inde tamen concludere non licet, lac eiusmodi viribus antivenereis esſe deſtitutum; cortex enim peruvianus, a matre ſumtus, cum lacte vim antifebrilem communicat; ſic etiam purgantibus, nutrici datis, infantis alvum moveri docuit obſervatio, etſi haec medicamina in ipſo nutricis lacte non inveniantur. Praeterea hoc modo ſaepisſime curatio est inſtituta optimo non ſine effectu.

Quod

(28) Astruc, l. c. Tom. I.

(29) Berthollet, Disſertatio de lacte animalium medicamentoſo, 1779.

Quod itaque attinet ad curam infantum ope medicaminum, nutricibus exhibitorum, nil iis, quae ſupra diximus, est addendum, ſed effectus hydrargyri, quod nutrix asſumit, curatius obſervandus est; non raro enim a nimiâ quantitate huius metalli tormina ventris oriuntur ſimul cum diarrhoeâ, quae non tantum nociva, ſed etiam letalis fieri potest (30).

Quamvis negari nequeat, hoc modo multos infantes ſanari, docuit tamen experientia, in nonnullis caſibus, ſanationem infantis non peractam fuisſe mercurio, a nutrice ſumto. Quapropter, his in caſibus, adduntur frictiones cum unguento mercuriali, vel etiam doſes parvae muriat. hydrarg. oxydulati.

Quando e contra infantem lactentem di-

(30) Swediaur, l. c. Tom. II, pag. 195. Doublet, l. c.

directe tractare velimus, huic ſcopo optime ſatisfacere potest murias hydrargyri, quod praeparatum ſatis bene ferre ſolent infantes, in primis ſi datum fuerit cum laudato ſyrupo ſudorifico (31).

Doſis muriatis hydrargyri minima, diverſa tamen pro aegri conditione, esſe debet; quando igitur aetatem ſex menſium non attigerit infans, $\frac{1}{24}$ gr. datur pro doſi, ſed dein augeri potest ad $\frac{1}{12}$ gr. per diem (32).

Eadem hic momenta ſunt obſervanda, quae in adultis commendantur, nimirum hydrargyrum ſemper dari debere ſimul cum uno alterove ſyrupo vel decocto quodam.

Si curationi ſuperveniat dentitio, in pri-

(31) Richter, l. c. Tom. V, pag. 560.

(32) De Horne, Obſervations ſur l'adminiſtration du Mercure. T. I, pag. 41.

primis ſi cum ſymptomatibus morboſis appareat, per hoc temporis ſpatium omnis horum medicamentorum uſus est omittendus.

Murias hydrargyri oxydulati hic etiam in cenſum venire debet; ſaepe enim hocce ſolo remedio curatio est abſoluta. Sumitur vulgo granum dimidium vel una quarta grani pars mane et vesperi, cum potu quodam involvente, et plerumque ſanatio ſex granis huius medicaminis peragitur (33).

Verum enim vero ſi infans ſit ablactatus, ſanatio est tentanda adminiſtratione directâ hydrargyri, et hoc in caſu ante omnia est animadvertendum, quod quantitas huius metalli ſit moderanda iuxta aetatis, virium, aliarumque rerum circum-

(33) Buchenholz, in Roſenſtein's Kinderkrankheiten, 6e Aufl., pag. 767.

cumſtantium rationem, v. c. infanti ae-tatis unius anni ad quatuor usque $\frac{1}{12}$ gr. mur. hydrarg. ſufficit; infanti 6 annorum $\frac{1}{8}$ gr. huius remedii datur; et ſic doſis augetur identidem ad $\frac{1}{6}$ vel $\frac{1}{4}$ grani.

In frictionibus adhibendis eadem ſunt obſervanda, v. c. pro primâ frictione in infante 3 annorum ad 6, gr. 10 ad ſcrup. unum cum dimidio ſumuntur, quae quantitas augetur aut diminuitur pro ratione virium, diſpoſitionisque peculiaris aegrotantium.

Balnea tepida durante adminiſtratione hydrargyri valde proſunt.

Quod attinet ad fumigationes mercuriales, quibus nonnulli medici Luem veneream infantum, in primis affectiones locales curare ſperaverint (34), uti etiam

(34) Gardane, detail de la nouvelle direction du Bureau des nourrices de Paris, 1775.

am ad frictiones mercuriales, in caprâ factas, unde huius animalis lac hydrargyro impregnatur, quod infanti praebetur, quemadmodum commendant doct. Levret et Swediaur, tantum notamus, hanc methodum hodie fere absoletam esse; multiplici enim experientiâ evictum est, huius effectus voto non respondere (35).

Inter omnia symptomata localia syphilitidis infantilis primum locum non tantum occupat ophthalmia venerea, verum etiam magnam requirit attentionem, prudentiamque in aegris curandis.

Haec opthalmia, quemadmodum supra monuimus, plerumque ab infectione locali oritur, et cura, maximâ ex parte anti-

(35) Metzger, Kurz Inbegriff. d. Lehre, v. d. Lusts. Koenigsb. 1800, § 306.

tiphlogistica, hic eligenda esse nobis videtur.

1° Igitur attendendum est ad topicam vasorum evacuationem; conducunt hanc ob causam hirudines, temporibus vel oculis appositae, uti etiam doct. van der Haar affirmavit, hirudines oculis appositas in quavis ophthalmiâ, ab acri obortâ, plus boni praestare quam repetitas venae sectiones (36).

Impetus praeterea inflammationis corrigenda est remediis emollientibus et involventibus, uti sunt decoctum altheae, mucilago sem. cydonior. etc; interdum pauca opii quantitas cum emolumento hisce fomentis additur; uti etiam lac ad oculos depurandos commenda-

(36) van der Haar, Heelkundige Waarnemingen, 32.

datur a doct. Ware (37). His remediis acris involvitur materies, et nimia partium laesarum sensibilitas diminuitur.

Clysmata multum boni praestare plures observarunt, si ex corporibus parum irritantibus praeparentur.

Emplastra vesicatoria, ut humorum impetus ab oculis derivetur, satis laudari nequeunt; tam diu tamen sunt applicanda, ut lenem producant suppurationem.

Observatione denique multiplici, satis cognitum est, primo huius ophthalmiae stadio hydrargyrum neutiquam esse adhibendum; nemo porro inficias ibit hydrargyrum externe applicitum, acredine sua

(37) J. Ware, Remarks on the ophthalmy, psorophthalmy and purulent eyes etc. London 1780, horum duorum oper. brevis expositio exhibetur in auserl. Abh. von Koch. T. IV, part. I, pag. 46. et T. VI, pag. 424.

ſuâ interdum irritare et inflammationem augere. Hanc opinionem quoque amplexus est doct. Koch (38), affirmans, ophthalmiam neonatorum veneream optime tolli poſſe absque remediis antivenereis.

Ultimo tamen ſtadio, ubi collyria parumper ſtimulantia multo cum fructu adhibentur, ſolutio etiam muriatis hydrargyri valde prodest (39).

Quando exanthemata venerea obſervantur, inunctiones topicae cum unguento oxyduli hydrargyri inſtituendae ſunt, additis inſuper huius unguenti parti uni ſex partibus axungiae porci, vel maiori minorive copiâ pro re natâ.

Hoc remedio etiam uti posſumus in tu-

(38) Auſerles. Abhandl. T. V, pag. 563.

(39) Richter, l. c. T. V, pag. 563.

tumore glandularum, tuncque unguenti oxyduli hydrargyri parti uni axungiae porci tantum partes tres adduntur.

Vulgo praeterea ulcera et pustulae venereae adſunt, quae, ſi valde doleant, modo antiphlogistico et emollientibus tractari debent, v. c. Inf. herb. malv. vel altheae, cui addi posſunt aliquot guttae vini opii aromatici. Si autem haec chronica fiant, ſolutio muriatis hydrargyri, valde diluta, adhiberi potest.

Icterus aliquando obſervatur in neonatis, ſyphilitide correptis, qui tamen, quoniam cum ipſà Lue venereâ nihil commune habere videtur, modo ordinario tractari, aut naturae prorſus relinqui debet.

Ob praeſentiam vermium, in intestinis nidulantium, cura antiſyphilitica nunquam postponenda est. Si vero affectiones nervoſae ab hac cauſâ oriantur, in-

intermittenda est cura, ſed repetenda, ſymptomatibus cesſantibus. Monendum interim, ut hoc in caſu, durante uſu hydrargyri, nonnunquam purgantia anthelmintica conducere posſint, ad vermes extinguendos et expellendos.

§ 3

Quaevis denique medendi ratio ſustentanda est apto regimine pro ratione diverſâ debilitatis et aetatis aegrorum, vehementiae ac numeri ſymptomatum, et ſi infans adhuc lacteat, pro quantitate et qualitate lactis ipſius nutricis.

Regulae hygienae hic praeſertim ſunt obſervandae, corpus infantile ſedulo est depurandum, et ſaepe cum infante in aëre aperto et ſalubri est deambulandum.

Hoc modo cura vulgo ſuccedit a menſe ſecundo ad tertium usque. Licet interim optima medela tempestive adhibeatur, lento tamen gradu ſanationis ſcopus attingitur.

T A N T U M.

THESES.

I.

Falſa mihi videtur opinio eorum, qui putant omnem aquam, in aëre exſpirato obviam, conflari in pulmonibus ex oxygenio aëris atmosphaerici inſpirati et ex hydrogenio ipſius ſanguinis venoſi.

II.

Quamvis non negemus, circulationem ſanguinis maxima ex parte abſolvi contractione cordis, vim tamen arteriarum quin et vaſorum capillarium hic nequaquam esſe excludendam, cenſemus.

III.

THESES.

III.

Cibus et Potus non ſola gravitate per oeſophagum deſcendunt, ſed etiam ipſius contractione deorſum pelluntur.

IV.

Saliva, bilis et urina, ante ſecretionem, qua tales in ſanguine exſiſtere negamus.

V.

Concedimus bilem quidem ſecerni ex ſanguine venae portarum, arterias tamen ad ſecretionem etiam necesſarias esſe, contendimus.

VI.

Febres gastricae et bilioſae, licet ſaepe complicatae, tamen diverſae ſunt naturae, diverſamque postulant curationem.

VII.

VII.

Febris typhoidea ab initio remediis excitantibus non est tractanda.

VIII.

Corticis peruviani, lichenis yslandici, aliorumque roborantium uſum quamvis in phthyſeos pulmonalis initio prudens raro admiſerit medicus, in phthyſi tamen pituitoſa, post febres catarrhales et catarrhum ſuperſtite, ab iis ſaepe ſalutem potest exſpectare aeger.

IX.

Bronchotomia nimis negligi mihi videtur; ſaepius enim ubi inſtituebatur, ſucceſſu ſperato non caruit.

T H E S E S.

X.

Si aliquod remedium ſpecificum dici liceat, hydrargyrum tale ſalutandum est in Lue venerea.

XI.

Iure meritoque Hippocrates *dixit: Sanguinem carnem fluidam.*

XII.

Multis difficultatibus premitur ſententia illorum, qui ſtatuunt, plantas omne nutrimentum ex aqua haurire, et vi organiſationis ſuae, durante vegetatione, ſole collustratas, varia generare principia, terras, metalla, ſulphur, phosphorum, carbonium et alia, quae ſimplicia videntur; ſola autem oxygenium, hydrogenium, et caloricum vera principia ſimplicia videri.

XIII.

T H E S E S.

XIII.

Cum ex variorum experimentis ſatis appareat, acidum muriaticum continuo, in primis tempore aeſtivo, ex oceano elevari, et ſic ab aëre atmosphaerico ſuscipi, haud dubitamus, quin acidum illud muriaticum proprietate ſua antiſeptica multum contribuat ad putridas et nocivas exhalationes, quae ex aqua marina, in primis autem ex littore adſcendunt, corrigendas.

